

ficentissimum templum, quod duo millia passuum ab urbe distat, inviolatum relinquit. Flexerunt inde Barbari in Latinam viam: atque ubi in Cassinensem saltum pervenere, oppidum quod in eo fuit, subita vi opprimunt, oppressumque diruunt: nunc recens oppidum, quod illic est, Germanum vocant. Est non procul inde monasterium, vetusta religione & opulentia insigne: hoc quoque sacrilegæ manus diripuerunt, direptumque magna ex parte incendio consumpserunt. Hinc profecti secundum propinquâ Liris ripam (nunc fluvium ipsum Garilianum vocant) ad mare velut procella quædam ex montibus in subjectos campos vi ventorum dejecta, omnia ferro & igni proculcantes, se proripiunt: hic opulenta præda in naves, quas ex Hetruria accersiverant, imposita, in Mauritaniam transmittunt. Nec inde diu quievit, quum gestarum rerum successu felicioris adhuc militiæ spem nacti, non multo post patrio littore profecti in Italiam redeunt, Tarentumque ac Siciliam eodem fere tempore tumultuose invadunt. Quum itaque appareret, omnem superi maris oram Maurum infestaturum, tum Theodosius iis copiis, quas ex Græcia adduxerat, diffusus, ad Venetorum opes, ut diximus, confugit: quibus benigne impetratis, continuo in Barbaros movit. Sabbas interim audito hostium adventu (incertum est metu ne, an quia ita suis rebus conducere arbitraretur, si hostem specie fugæ ludificatus, ad aliquid temere agendum impulisset) soluta Tarenti obsidione celeri cursu se cum tota classe circa Crotonis littora recepit. Sedet Croto in Tarentino sinu, oppidum vetustissimum ab Achivis oraculo Apollinis conditum Miscello Duce, ac ita quandoque opulentum, ut centum triginta hominum millia in armis habuisse dicantur Crotoniatæ, quum ad Sagram fluvium a Locris sunt superati. Fuit alioquin civitas rei bellicæ peritissima, dedit & quandoque Athletis operam non parvam. Sed Pythagoras Samius, & Milo, qui ejus auditor fuit, præcipuam urbi gloriam attulere: hic quia civis, omniumque Athletarum, qui ea tempestate fuerunt, fortissimus: ille vero philosophiæ commercio. Hic itaque (nam Græca Venetaque classis in ea quoque loca venerant) aliquot levio-

*Veneti &
Græci præ-
lio navali a
Mauris su-
perati.*